QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXI. IANVARII. M. GVILLELMO DV PRE' DOCT. MEDICO MODERATORE.

An μεγαλόφωνοι calidiores? 699

IDEM Occidit quod vitam tradit, cor viſcus omnium nobiliſſimum, primùm viuens, vltimò moriens, venarum fortaſſis exordium, ſpiritus domicilium, motus ſempiterni particeps, locus in virginibus ad delirium ac inſaniam oportuniſſimus, ſenſus & animæ potiſſima ſedes, humanæ naturæ fœcundiſſima radix, fons eſt vberrimus humidi primigenij, natiuiq; caloris, ab elementari ſpecie diſtincti, quorum mutuo diſſidio necis & vitæ noſtræ termini continentur. Qui bona valetudine gaudent, illi non ſemper vitam viuunt longiorem, neque ſunt omnes breuioris vitæ, qui morbis confligantur plurimis, nec eorum ſanitas diuturna certò futura, qui laudabili naturæ temperatione vigent. Humor primigenius, aëreus, pinquis, viſcidus calorem inſitum fouet & alit, vterque ſingulis corporis partibus, inæquali, iuſtâ tamen ratione diſtribuitur, diuerſas obit functiones, reſpirationem facit vehementiorem, elegantem membrorum diſtinctionem molitur, ſcapularum amplitudinem, articulorum delineationem, dentium frequentiam, profundas & latas in vola manus inciſuras χειρομάντεσσι ſpectandas exhibet.

CALIDVM innatum omnium animalium & ſtirpium origo, πρῶτον τῆς ψυχῆς ὄργανον, quæ ſunt eiuſdem generis congregat, concoctionem maturationis, elixationis, aſſationis, veluti parentem efficit, χολῶσιν in ventriculo, αἱματῶσιν in hepate, ὁμοιῶσιν in vniuerſo corporis habitu, caloris ope fieri omnes fatentur, id quanam ratione fiat multi quidem inueſtigant, ſed illam, pròh dolor nullus etiamnùm inuenit: viribus & magnitudine fœminas mares ſuperant, dextra ſiniſtris validiora, robur & dignitas facultatum omnium in calore conſiſtit: animalia voce prædita mutis nobiliora, ſenes debilius quam iuuenes operantur, graciles qui ſunt ventre calidi, frigidæ verò carnis, conſpicuas habent venas: Scythica regio pauciſſimas alit feras, quæ magnitudine non ſunt inſignes: ſemperne caloris magnitudo comes? ad dilatandum & amplificandum ex natura ſua calor eſt comparatus.

CORPORA quædam edunt ſonum, qui ſemper alicujus ad aliquid & in aliquo factus auditur cum in aere, tum in aquis. Vox, ſolius animantis ſāguine præditi peculiaris, meritò dicitur ictus aeris reſpiratione attracti, qui quidem ab anima fit ea quæ his in partibus collocatur, ad eam partem quæ vocatur gurgulio, qui preciſus tabem inuehit. Vocem fauces, vocem articulatam lingua, ſermonem labia perficiunt. Ad locutionem rerum omnium præſertim futurarum cognitionem, imaginum quæ res & verba phantaſiæ repreſentant perfectam connexionem, phantaſiæ denique cum vi motrice labiorum ſtupendam colligationem ex neceſſitate conferre ſtatuimus. Cœterorum animantium hucuſque progreſſa eſt natura vt quod iucundum & moleſtum ſenſerint inter ſeſe voce ſignificarent. Sermo vero qui ad id quod prodeſt & id quod nocet declarandum omnino valet, ſolius hominis animalis politici, boni & mali, iuſti & iniuſti, aliorumque ſimilium ſenſum habentis proprius non iniuria creditur eſſe.

AEREM expiramus omnes eundem, voces emittimus varias, ob ſubiectorum vaſorum (pulmonem, arteriam & os intelligo) differentias, per quæ cuiuſque ſpiritus ad locum exteriorem tranſmittitur. Vox vna grauis, acutior altera, vna magna, altera parua. Hyberno tempore, ex potu, vomitu, frigore, ridentes, viri & qui firmiſſima ſunt ætate grauem, pueri cæteræque animantes recens natæ, mulieres, ſemine prolifico turgentes etiam Ariſtoteli, decrepiti, ſpadones, vocem acutam effundunt. Eminus voces acutiores, quæ cominus grauiores percipiuntur. Vox chori quæ ſuperiùs deorſum quàm inferiùs ſurſum meliùs audiri poteſt, paleis in orcheſtra ſparſis minor ad aures peruadit: Animantes quidem eiuſdem ſpeciei vocem eandem, homines autem diuerſam & multiplicem, metuentes tremebundam, vinolenti potius quàm ſobrij fractam emittunt: mulieres natu minores acutiùs quàm majores ſonant.

VOCEM & loquelam, virtute cuius ignem extingui, penis vileſcere robur, opus butyri cohiberi, ſanguinis fluxum ſiſti tanquam anicularum deliramenta, maxima contentione mentis inficias euntes, in ſanis & in ægris eſſe maximi momenti planè profitemur. Vox, acuta quæ fuerat ante, grauis φρενῖτιν arguit, à vomitu clangoſa cum faſtidio & puluerulentis oculis furorem portendit, ex dolore qui voce ſunt capti crudeliter cum morte vitam commutare ſolent. Quæ cum exolutione, quæ cum ſingultu, quæ à rigore veniunt ἀφωνίαι, habentur ab omnibus funeſtæ: quibus cum febre vox faucibus hæret poſt ἀκρισίαν tremuli moriuntur. Si quis in febre fandi ſit impotens malo eſt loco, vt enim vegeto calore vitali, thoracis accedente virtute vox editur magna, ſic in caloris penuria & imbecillitate thoracis voces exiles audiuntur.

Ergo μεγαλόφωνοι calidiores. 141.

Proponebat Lutetiæ IOANNES COMPLAINVILLE, Anno R. S. H. M. DC. XXVII.

M. Franciſcus Quiquebeuf.
M. Claudius Lienard.
M. Renatus Moreau.
M. Dionyſius Allain.
M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Couſinot, P. R.
M. Hieronymus Goulu.
M. Henricus Blacuod. P. R.
M. Gabriel Biart.

